



## The Holy See

---

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE **QUANTUM UTILITATIS\*** NUNTIATURA APOSTOLICA IN REPUBLICA MALAVIENSI ERIGITUR.

Ad perpetuam rei memoriam. — Quantum utilitatis e publicis officiorum rationibus, quae Apostolicae huic Sedi intere edunt cum Civitatibus, soleat exsistere, neminem latet estque usu iam dudum comprobatum. Cum igitur commodum esse visum fuerit Apostolicam Sedem et Malaviensem Rempublicam publicis huiusmodi vinculis inter se coniungi, Nos, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi, in Republica Malaviensi *Nuntiaturam Apostolicam* erigimus et constituimus. Eadem ergo sic per Nos erectae Nuntiaturae omnia et singula deferimus officia, privilegia atque indulta, quae huiusmodi Legationum propria sunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter extare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; eidemque Nuntiaturae sic constitutae nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Maii, anno MCMLXVI, Pontificatus Nostri tertio.*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

---

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 7, p. 477

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana